

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Consideratio status damnatorum, quod actiones ipsorum inprimis malas, concernit

Fecht, Johann

Durlaci, 1680

Dedicatio

[urn:nbn:de:bsz:31-122744](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122744)



ILLVSTRI ET GENEROSISSIMO
V I R O,
DOMINO WOLFGANGO
FORSTNERO,
A BREITENBURG;
S. ROM. IMPERII LIBERO EQVITI,
SERENISS. REGIMINIS VVURTENBERGICI
CONSILIARIO INTIMO,
ERARII DUCALIS MODERATORI
ET MAGISTRO,
ITEMQUE DISTRICTUS AURACENSIS
PRÆFECTO SUPREMO;
MAXIMIS MERITIS UNDIQUAQUE
EMINENTISSIMO,
DOMINO MEO PERCLEMENTI,
S. P. D.
J O. F E C H T,

A Nni jam sunt octo, Vir & Patrone summe, cum
rogatu Jo. Georgii Fürdereri, Theologiæ tum
studio dicati, argumentum, præsentis libro tra-

2 2

Statum;

DEDICATIO.

Etatum: *peccentne in inferno damnati?* in solennis dis-
 putationis materiam excuterem. In eo verò dum ver-
 sor & vel promovendis studiosæ juventutis studiis in-
 cumbo, vel propriam oblectationem & quasi mentis
 in molestioribus sæpe occupatæ diverticulum quæro,
 crevit disputantium ardor & cum eo animus meus,
 qui, quo ulterius in curiosæ quæstionis indagazione
 progredetur, eo majorem cum antiquitate eruditâ,
 ac præsertim Scholasticæ sapientiæ Doctoribus usum
 contrahebat ac consuetudinem. Quorum, quamvis
 barbara dictio sit, & qui haud rarò *quæstiones Theologi-
 cas*, dicente Melchiore Cano, *fri-volis argumentis absol-
 verint, & vanis invalidisque ratiunculis magnum pon-
 dus rebus gravissimis detrahentes, ediderint in Theolo-
 giam commentaria, vix digna lucubratione anicularum;*
 ingenio tamen plurimi & conquirendis undiquaque
 exquisitissimorum argumentorum momentis valent,
 & ut disputandi genus minus alibi sublime est, maxi-
 mos tamen hodieque vel admiratores vel imitatores
 habet, & fortasse non minores sapientiæ magistros.
 Quare cum semel lectione eorundem incaluissem,
 non poteram à cæpto opere retrahere manum, do-
 nec, quicquid ponderis ad persuadendam utramque
 opinio-

DEDICATIO.

opinionis partem congesserant, in chartam qualicunq; industriâ conjecissem: extimulante cum primis impetum istum studiosorum sedulitate, qui, cum vel ex nostræmet scholæ institutione, vel Academicâ disciplinâ frequentes tum huc confluisissent, ut per consueta examina, quorum numero Principis edicto & solennis in Gymnasio disputatio continebatur, ad sacrum ministerium aditum sibi pararent, continuo filo pertexi telam sibi istam efflagitarunt. Isthoc pacto effectum est, ut intra unius, & quod paulum excedit, anni spatium, novem de eodem argumento Disputationes in publico auditorio proponerentur. In quo verò considerando id dedi operam, ut, quæ scholarum magistri ^{à publicis} & non sine domesticâ terminorum barbarie scripserant, ad id differendi genus, quod consensu quodam comptius est & faciliori ordine, nativoque artificio, veritatem instillat, reducerem, præiremque isthoc simul exemplo viam, quâ ratione nostri aliorum disputationes Logicâ analysi, tanquam lydio veritatis lapide, resolvere & discernere adeò à falso verum possent. Cæterum, cum in tractationis processu animadvertissem, ipsam

a 3 argu.

DEDICATIO.

argumenti mei indolem ita comparatam esse, ut accuratior diffusiorque illius discussio medendo desperatissimo seculi nostri morbo, id est, moribus pietati & probitati Christianæ infestis, quibus tamen in hac ad orbis terreni feces devolutâ Ecclesiâ hodie unicé vivitur, posset servire; animo complexus universam de damnatorum actionibus materiam, excitante studium meum candidatorum desiderio, extendere ad isthanc amplitudinem institutum meum prorsus constitueram; cum inimicus bonis literis Mars Rheno se primum nostro insinuare, deinde reddere has provincias excursionibus & latrocinis infestas, tum verò sævire in maximos, in minimos, crudelitate plusquam barbarâ, denique sursum deorsum vertere cuncta cepit. Silebant tunc inter arma leges, conticescebant optimarum artium oracula, dilabebantur earum cultores, parumque aberat, quin Gymnasium nostrum, illustris antea variæ eruditionis officina, acerbi diuturnique belli flammis involutum absumeretur. Ex eo tempore, quamquam vel facta pax est, vel dilatatum equidem bellum, nondum tamen amissas ita vires reparavimus, ut, in hac præcipue

DEDICATIO.

puè rerum caritate, ea nobis studiosorum frequen-
 tia speranda sit, quæ foetui huic, quodam modo af-
 fecto, obstetrices subdere manus, eumque in pu-
 blicam lucem brevi protrudere queat. Ne tamen
 qualecunque laboris lucellum, quod in impressis
 editarum disputationum exemplis repositum sibi
 esse arbitratur, ingenui candoris & natus juvandæ
 rei literariæ Typographus, meâ culpâ suffocarem,
 iisdem libri formam induere, & sive sequantur suo
 tempore cætera, sive condantur tenebris, (neque
 enim quicquam certi, alieniorem à *αολοκικωστίας* hisce
 nunc gerens animum, polliceri audeo) generalem
 hanc non injucundi Thematidis tractationem præ-
 mittere tandem constitui. Atque hanc proposi-
 ti mei rationem modumque, qui occasione magis
 quam consilio originem debet, exponendum an-
 te omnia esse, haud immeritò ratus sum, ne quod
 truncum primore adspectu & capite quasi atque
 calce defectum apparet, meæ desidiæ potius ac fa-
 stidio, quam fortunæ fatoque adscribatur. Id verò,
 quicquid est, opusculi, in TUUM potissimum si-
 num, ILLUSTRISSE FORSTNERE, recipi ge-
 stit, & patrocinium TUUM securius ambire, quod,
 qui

DEDICATIO.

qui me magis amaret, cui plus ipse deberem, qui ista five meli⁹ æstimare posset, five prosequi certiore affectu vellet, inventurus essem neminem. TU, cum ante duodecennium, ad sanctiorem curam Serenissimis animabus impendendam, publicamque in Gymnasio obeundam professionem vocarer, ab inclyto PRINCIPE ad supremam Præsidis euectus dignitatem, princeps maximi Herois minister, in summo Themidis nostræ solio sedebas, certissimaque æquitatis oracula quotidie reddebas. Ist hac quamquam præfulseris in amplissimo ordine auctoritate, ad scholæ tamen etiam nostræ colles gloriæ TUAE rivum derivasti, & tanquam ibi habitares, ubi Musæ coluntur, novo favoris exemplo, cum in solenni auditorio studiorum moderatorem, omni genere doctrinæ liberalissimè instructum, TUA MANU introduceres, TUO ore, disertâ gravique oratione usus, commendares, excitare ad eas potissimum artes cives nostros voluisti, quas & amares ipse impensissimè, & intelligeres, non nisi cum damno & dedecore publico ignorari posse. Id decus, DOMINE, aut proprium in illo TIBI fastigio est, aut commune cum oppidò paucis. Neque

DEDICATIO.

que enim literarum duntaxat honorem studiosè
 promotes, sed in studiis etiam IPSE, omniq; adeò
 doctrinâ, omnium, qui TE audiverunt, ad quos epi-
 stolæ TUAË, tersissimâ elegantia nitidæ, pervene-
 runt, iudicio, tantopere excellis, ut ex iis, qui totâ
 vitâ nihil aliud egerunt, quique in variæ doctrinæ
 studiis consenuerunt, pauci ad hoc exemplum lite-
 rati reperiantur. Alii, quos mala mens sua plectit
 & stolidâ turpissimaq; barbariei atque ignorantia
 confessio, scholas literasque, quibus TU frequentis-
 simè totus immerfus es, alto infra se supercilio, qua-
 si iisdem natalium sublimitas dehonestetur, despi-
 ciunt. Sunt, qui cum nihil laude dignum egerint
 in vitâ, in primâ laudis parte ponunt, si literas ac li-
 teratos diès totos allatrent; hos TU contemnis
 præfractè & literarum curam etiam in gravissimis
 negotiis nunquam dimittis. In quadam ad me epi-
 stolâ (neq; enim, dum TUA verba refero, ægrè TE
 ferre puto) cum *ab aularum strepitu & turbinibus*
TE tandem ipsum vel sine manumissione vindicatu-
rum libertati, & privati secessus suavitati, minitatus
 esses; ita, a jebas, *futura tranquillitatis præoccupatâ*
latitiâ, pacatiori animo tolero, quicquid molestiarum
 b mibi

DEDICATIO.

mibi & *egritudinis devorandum est, quibus tamen non ita me mancipio totum, ut nunquam ad suaviores musas respiciam, & porrectâ velut ex carcere meo manu, librum aliquem prehendam, vel literas amicorum & dissertationes.* Quidam è nobilium vulgo honestissimam & dignam liberali homine, quæ ex studiis capitur, voluptatem, tanquam sterilem, & quæ iter ad pecuniam non sit, refugiunt, atque eo ad alia omnia, ardua præprimis & magna, imparatius accedunt. Hanc absurdam & deformem, nec non rebus humanis exitiosam opinionem exempli TUI prærogativâ quotidie profligas, gloriæ FORSTNERIANÆ, quam immortalis, quousque bonis literis & artibus nomen erit, FRATER TUUS, CHRISTOPHORUS, ad supremum culmen provexit, caput hodie & sublime decus. *TE*, quod ex clarissimi scriptoris elogio repeto, *eadem consiliorum gravitas & constantia, candor, libertatis modestia mixta dexteritas, ceteraque præcipua humani animi bona, in eo laudum collocant fastigio, unde gervinum paulo ante sidus conspiciebatur.* Ad istum verissimarum laudum Tuarum cumulum ea accedit modestia, ut tot eximias animi dotes, tam exquisitam usq; subactam
doctri-

DEDICATIO.

doctrinam, quam alii, cum curâ utantur, prolixè ostentant, ambitionis fugâ & secessu ubiq; cupidè & diligenter tegas; ea humanitas ac admissionis facilitas, ut etiam nutantes in amorem rapias, immò in familiaritatem ultrò provoces. Nihil dico, PATRONE, quod omni hominum generi totâ provinciâ nostrâ notum non sit atq; testatum. Ea me TIBI virtus prius devinxit, quam facie mihi notus fueras. Ea postea nunquam fatigata est, beneficiis ingenti numero in me prodigendis, postquam in complexu atque patrocinio TUO vivere mihi dabatur. Ea nunc, cum divulsus iterum à nobis es, memoriam mei ubiq; gerit tenacem, crebris ex eo tempore literis salutationibusq; uberrimè declaratam. Primum præcipuumque, quod ingenuam mihi Nominis TUI venerationem impressit, cæterarum virtutum regina, pietas est, quæ, quo contemptior, quo abjectior est apud pleròsq; vel illustri loco natos vel summis in Rep. muneribus fungentes, hoc TU arctius eam complecteris, hoc reverentius eam observas. Eo nunc vivimus seculo, ubi & pietatis nomen & sensus invisa sunt magnis & excelsis

DEDICATIO.

mentibus, quibus nulla scilicet cum plebe communis opinio, quique cæteris altiores quasi supernatant & infra se vident, quicquid alii de Deo rebusque Divinis, supra caput suum mirantur. Si quis religionem, tanquam fabulam vulgo coercendo inventam, non curet, pro nihilo ducat, despiciat, nec ad Divina prorsus moveatur, Dei per ministros suos monentis aut etiam minantis audax contemptor, protinus is dignus existimatur, qui inter viros aularum curiarumque illustres numeretur. Quod si quis Numinis, honestatisque sensum, interiore stimulo convictus, apud se retineat, nec improbo seductus consortio prorsus exuat, innocuam in pectore premit pietatem, seduloque cavet, ne quis, præter unum forte animæ curatorem, tantillam animi bonitatem, sibi apud alios ludibrium, & in adeundis dignitatibus impedimentum parituram, publicè resciscat. TU, ILLUSTRIS FORSTNERE, ab hoc Christianismi probro & desperatis ætatis nostræ moribus planissimè es alienus. Cum nec natalium splendore, nec gravissimorum, quæ
gesti-

DEDICATIO.

gessisti, atque etiamnum geris, munerum amplitudine, cuiquam cedas, orbemque adeò scientiarum mente illâ TUA igneâ complexum teneas, maximè tamen pietatis studio accensus es, neque erubescis, Dei TE probitatisque candidum profiteri cultorem. Quos alii ut atros angelos, ex vestium colore, ubi ubi possunt, devitant, ii in ædibus haud rarò TUIS, ut domestici, TU in eorum tuguriis, ut amicus, lubenter rusticaris. Creberrimus TIBI de religione sermo, quam non oblatâ sed arreptâ occasione, nativâ oris eloquentiâ, profanis animis, ut suave mulsum, instillas. Perditus sit oportet, & efferatæ malitiæ, quisquis à colloctionibus TUIS melior non recedit. Cum de iis, quæ apud inferos aguntur, commentari me aliquid inaudires, non poteris TIBI temperare, quin ad me in isthæc verba scriberes: *Dum, quæ amplius doceri cupio, tempore minus vel molesto vel occupato ad TE perscribam, liceat ex TE querere: quid inferi TUI agant? Et annon ad superos tandem perruptura sit eorum fama? Quid valeant? satis patere Christianis existimo. Quæ vero cætera ipso-*

DEDICATIO.

rum vita? qui mores? qua respublica? sanctior nostra?
 an par? an deterior? TUAM elucidationem cu-
 pidi expectamus. Non TE pudet verborum, quæ
 TIBI inviolatæ religionis sensus expressit, quibus
 immanibus & fœdis corrupti hodie Christianis-
 mi monstris summo jure insultas. Ea mihi res
 majorem addidit fiduciam, hanc scriptiunculam,
 utcunque mole & valore exiguam, utcunq; man-
 cam & imperfectam, quæ, si propositos attigis-
 set limites, τὰς ἐν ἄδῃ δεινότης, cum Cebete Thebano in-
 scribi potuisset, nomini TUO dedicandi. Hæc
 à devoto, TUIQUE observantissimo, pectore pro-
 ficiscitur. Hanc ad TE mitti, iteratâ epistolâ
 maximopere expetiisti. Huic, cum ex publicâ
 cathedrâ ad disputandum proponeretur, perillu-
 stris generosissimorum Imperii Baronum triga,
 JOANNES FRIDERICUS, & BERNHARDUS
 MAXIMILIANVS, LIB. BARONES IN ECK ET
 HVNGERSPACH, & OTTO LUDOVICUS
 RINDSMAVL, L. B. ab ILLVSTRISSIMO Sere-
 nissimæ Aulæ nostræ MARESCHALLO, Sum-
 moque Dicafterii PRAESIDE, BARONE
 CRON-

DEDICATIO.

CRONECCIO, ut de universâ patriâ, ita de
Gymnasio nostro præclarissimè merito, Athenæi
tum nostri, ubi fundamenta scientiarum virtu-
tumque, in publicum bonum jamjam sese togâ
sagoque egregiè explicantium, ponerent, curæ
commissi, aliique ex equestri ordine, frequentis-
simè præsentiam suam & auscultationem com-
modarunt. Hinc itaque, atque ex animi mei
candore, ex TUA imprimis, toties mihi expertâ,
benignitate, VIR MAXIME, aliquam munuscu-
lo dignitatem admetire, quo, ceu publico testi-
monio, hoc unum testatum facere cupio: non
minus TE à me coli, quam me à TE amari.
Vale, Vir nunquam satis laudate, & qui gran-
dævos senes, ut sanctitate & prudentiâ, ita an-
nis vel superes, vel æques, dignissime.

Sci. Durlaci, pridie Calendar. Augusti,
Anno R. O. M DC LXXX.

Nomi